



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die xxvij. Augusti. In Festo Sancti Josephi Calasanctii
Confessoris**

Paderbornae, 1770

In II. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62845](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62845)

Die xxvij. Augusti.

IN FESTO

SANCTI JOSEPHI CALASANCTII
CONFESSORIS,
DUPLEX.

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis,
præter ea, quæ sequuntur.*

In Hymn. *Iste Confessor*, mutatur
tertius versus.

O R A T I O.

Deus, qui per Sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiæ, ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium præsidere dignatus es, præsta quæsumus, nos ejus exemplo, & intercessione ita facere, & docere, ut præmia consequamur æternæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium &c.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectio de Script. occurrit.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Josephus Calasanctius à Matre Dei Petraltae in Aragoniâ nobili genere natus, à teneris annis, futuræ in pueros charitatis, & eorum institutionis indicia præbuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in my-

ste-

steriis Fidei, & sacris precibus erudiebat. Humanis, divinisque litteris egregiè doctus, cùm studiis Theologicis Valentia ope-ram daret, nobilis potentisque fœminæ il-lecebris fortiter superatis, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam, insigni vi-toriâ servavit. Sacerdos ex voto factus, à compluribus Episcopis in Castellæ Novæ, Aragoniæ, & Catalauniæ regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, Ecclesiasticâ disciplinâ restitutâ, inimiciis cruentisque factionibus mirificè extinctis. At Cœlesti visione, & Dei voce frequenter admonitus Romam profectus est.

Rx. Honestum fecit illum &c.

Lectio V.

In Urbe summâ vitæ asperitate, vigiliis, & jejuniiis corpus affligens in orationibus, & cœlestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem ejusdem Urbis Ecclesias singulis ferè noctibus obire solitus: quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum, quanto ardore pau-peres, infirmos potissimum aut carceribus detentos eleemosynis, omniisque pietatis officio sublevaret. Lue Urbem depulante, unà cum Sancto Camillo, tanto fuit aëtus im-

impetu charitatis, ut præter subsidia ægrotis pauperibus largè collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verùm cùm divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiæ, ac pietatis spiritu adolescentulos, præcipue pauperes, destinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio Instituto profiterentur: Ipsumque Ordinem Clementi Octavo, Paulo Quinto, aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europæ Provincias, & Regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot ærumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, & Sancti Jobi exemplum diceretur.

Rx. Amavit eum &c.

Lectio VI.

Qquamvis Ordini universo præcesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, nunquam tamen intermisit pueros, præsertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summæ patientiæ, & humilitatis munere, valetudine etiam infirmâ, duos & quinquaginta annos perseveravit,

vit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, & cui Beatissima Virgo cum puerō Jesu illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetiâ, abdita cordium, & absentia cognoscendi donis, & miraculis clarus, Deiparæ Virginis, quam singulari pietate & ipse ab infantiâ coluit, & suis maximè commendavit, aliorumque Cœlitum frequenti apparitione dignatus, cùm obitus sui diem, & Ordinis tunc propè eversi restitutionem, atque incrementum prænunciasset, secundum & nonagesimum annum agens, Romæ obdormivit in Domino octavo Kalendas Septembribus anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus Cor, & Lingua post sæculum integra, & incorrupta reperta sunt. Ipse verò multis post obitum quoque signis à Deo illustratus, primùm à Benedicto decimo quarto Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde à Clemente decimo tertio inter Sanctos solemniter est relatus. Rx. Iste Homo &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in Regno Cœlorum? Et reliqua.

Ho-